

RECTOR  
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS  
GEORGIUS MATHIAS  
B O S E  
PHYSICES PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS  
IN COMMERCIO LITERARIO CVM ACADE  
MIA SCIENTIARVM REGIA PARISINA  
ACADEMICVS BONONIENSIS

DE  
FALLACIBVS SPIRITIBVS  
*EX LOCO 1 TIM. IV. 1. 2. 3*  
DISSERIT  
ATQVE CIVES ACADEMIAE  
AD DIES  
NVMINI DIVINI SPIRITVS  
S A C R O S  
RITE RELIGIOSEQVE PERAGENDOS  
HVMANISSIME INVITAT

oll. diss. A  
50, 28

5. 11. 11

150 (28.)

Sächs.  
Landes-  
Bibl.



DE  
SPIRITIBVS FALLACIBVS

A D  
I TIM. IV. I. 2. 3

---



Multa sunt praestantissimaque nomina, quae sacrae ciuitatis doctoribus imponunt litterae, instinctu diuino afflatuque proditae, ad eorum dignitatem laude atque honoribus amplificandam. Sed in praesenti mentem nostram cogitationemque in se conuertit ac retinet illud, quo πνεύματα nuncupantur. Est hoc in primis ab eo, quem Christus in sinu oculisque tulit, amico, Ioanne,

A 2

epistola

epistola prima, capite quarto, crebro usurpatum, ubi salubre et frugiferum dat omnibus, quotquot salutem suam curae cordique habent, consilium, cunctis ut uestigiis *πνεύματα* indagent, neque cuius Spiritui temere assentiantur. Continuo uero ille, cum uaria sit huius uocabuli potestas, a praestantis Theologo doctrinae, Deylingio, eruditissime declarata,<sup>1)</sup> quodnam *πνευμάτων* uelit intellectum genus, ostendit, homines uidelicet, qui de rebus diuinis alios erudire instituant, a Spiritu, eos qui ad docendum inflammet, et in decretis profitendis agitet, ita nominati. At non unus est idemque Spiritus, qui coetus religiosi duces et magistros regit, uerum, quem ad modum ipse hic summonet Ioannes, generis duplicis et diuersi, alter ueri, alter falsi, *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς πλάνης.* <sup>2)</sup> Quo fit, ut inter eos, qui aliis, rerum diuinarum cognitione imbuendis, dant operam, non possit quoque non plurimum interesse, pro uarietate Spiritus, illos mouentis ac moderantis. Quod quidem discrimen Ioannes dilucide definit, accurateque inculcat, cum *πνεύματα ἐκ τοῦ Θεοῦ*, Spiritus, qui sint ex Deo, seiungit

ab

<sup>1)</sup> Obseruat. S. P. III. n. 45.    <sup>2)</sup> 1 Ioh. IV. 6

ab iis, qui sint et loquantur ἐκ τοῦ κόσμου, ex mundo. Illi quidem, quos ex Deo esse perhibet, ad eos mentis diuinae referendi sunt interpretes, qui, quaecunque Deus procurandae hominum saluti promulgauit, propugnaculum in primis omnis doctrinae coelestis, de Iesu hominum assertore, sancte et integre afferunt, fortiterque ab omnibus uindicant corruptelis. Horum in numero se una cum sociis suis, Iesu familiaribus, haberi uult, qui impulsu Sancti Spiritus excitati sint et gubernati, uti uoces, diuinitus suppeditatas, in monumentis perscriberent. Socios tamen sibi adiungit omnes, qui legatos Christi audiunt, atque, in coelestibus eorundem oraculis defixi, ueritatem a uanitate internoscunt. Isti autem, qui ex mundo sunt, generatim perspicueque ab Ioanne *Ψευδοπροφήται* appellantur, quod cognitionem Dei uariis inquinant commentis, quid falsum prauumque sit, quid uerum et sincerum, non ex diuinis libris depromunt, sed ex sensu et ingenio suo, hominumque animos, rerum externarum pollicitationibus captos, in eam inducunt sententiam, ut cultum numinis mundano potius splendore operibusque infucatis iudicent, quam interiori fidei uitaeque sanctitate. Hic

est ille Spiritus istius hostis Christi τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, u.  
 3. quem, postremis temporibus uenturum, et singula-  
 ri designat numero, et summa uult sollicitudine euita-  
 ri. 3) Atque hos Spiritus Fallaces eorumque antesigna-  
 num, τὸν ἀντίχριστον, si unquam, nostra profecto aetate  
 circumspicere debemus ac pertentare. Neque enim  
 deprauati ingenii libido uitium capit effoetae senectutis,  
 sed uires reficit, et crescit errorum foecunditate,  
 eiusmodi in primis doctorum multitudine, quos re-  
 rum nouarum abducit cupiditas, ut, neglecta religio-  
 ne, quae diuinitus praecepta erat, opiniones procudant  
 pestiferas, nec rude modo uulgus ac uarium, sed inter-  
 dum etiam excitatoris homines indolis altiorisque fa-  
 stigii, corrumpant, eaque re multa, nec leuia, in ci-  
 uitatem Christianam inferant mala. Hos ingeniose ne-  
 quam homines, Spiritus inquam Fallaces, ex diuini  
 mente Pauli iamiam mihi informo, quos ille, literis,  
 ad Timotheum datis prioribus, grauiter neruoseque  
 pingit, loco, qui, nostra maxime memoria, assidua uer-  
 sandus cura uidetur. Sic autem ille, τὸ δὲ πνεῦμα ἑητῶς  
 λέγει, ὅτι ἐν ὑμέροις καιροῖς ἀποστήσονται τινες τῆς πίστεως, προσ-  
 ἔχον.

3) 1 Joh. II. 18

έχοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑπο-  
κρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, κωλυ-  
όντων γαμῆν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων. Spiritus autem diser-  
te dicit, fore, ut ultimis temporibus deficient quidam  
a fide, Spiritibus addicti Fallacibus, daemoniorumque  
doctrinis, per simulationem hominum falsiloquo-  
rum, uisam habentium conscientiam, uetantium ma-  
trimonia contrahere, abstinere cibis

Habes hic expressam effigiem temporum extremo-  
rum, quibus res publica, legibus Iesu condita sanctif-  
simis, tot ac tanta uidet mala, ut homines, prisca fide  
abiecta, in capitales errores praecipites ruant. Cuius  
labis tam ingentis culpam praecipuam Paullus in Fal-  
laces transfert Spiritus, quorum fraudes in aures ani-  
mosque aliorum suauiter influant. inde enim omnem  
fundi sacri calamitatem manare, quod auscultent ho-  
mines πνεύμασι πλάνοις. Legit paullo aliter Vulgati in-  
terpretatio, πνεύμασι πλάνης, Spiritibus erroris, idem-  
que reperitur in Codicibus quibusdam. Sed alii bo-  
nae frugis repugnant, in quibus incorrupta est lectio  
πλάνοις. Illam ipsam retinent doctores antiqui, Hi-  
larius

larius

larius, Ambrosius, Augustinus, quos noster etiam sua in conuersione Lutherus sequitur. Neque immerito, quin potius ad rem praesentem accommodate, ut intelligas, Paullum non tam eos hoc quidem loco spectare, qui ipsi sentiant praue; et doctrinae salubritatem corrumpunt, quam, aliis qui imponunt, eosque in errorum student pertrahere societatem. Est enim haec uirtus apud Graecos, uerbo, *πλανάω*, ut uersutam indicet astutiam, alios a recta uia regiaque abstrahendi, ac deducendi in deuia, ubi facile est, labi atque errare. Quam similitudinem clare suis docet literis Iacobus, 4) ubi eum, qui sceleratum reducat ad sanitatem, nominat, *τὸν ἐπιστρέψαντα ἀμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ*, reuocantem fontem ab errore uiae suae. Illi enim, qui rapiuntur in errores, re uera exaequant periculo *τὰ πρόβατα πλανώμενα*, oues aberrantes, 5) quae, relicta uia, asperos confragososque tramites sequuntur, non sine discrimine extremo salutis amittendae. Quid autem sit illud, unde discedatur, iterum loco, quem excitaueramus, exponat nobis Iacobus, *εἰάν τις πλανηθῆ ἀπὸ τῆς ἀληθείας*, si quis aberrauerit a uero. 6) Veritas, a qua  
fit

4) V. 20.

5) 1 Petr. II. 25.

6) u. 19.



fit secessio, posita est in consensu praeceptorum cum principio, quod in sacris codex diuinitus acceptus praebet. Is quam primum relinquitur ac negligitur, et uel commemorationes per manus traditae, uel Pontificis edicta, et Synodorum, uel patefactiones, nescio quae, uel denique ratio insaniens in eius substituuntur locum, incipit *πλάνη τῶν πνευμάτων πλάνων*, fraus Spirituum Fallacium. Atque horum tam est ingens multitudo, quam multiplex reperitur error. Quo diligentius, operae pretium est, notas illas obseruare, quas Paullus apponit ipse, ut, quinam Spiritus isti Fallaces sint praecipue, in oculos incurrat. Equidem, sine ulla mora, Confessionum coetus nostri publicarum defendo sententiam, et signa, a Paulo memoriae prodita, transfero ad eum, quem Ioannes eximie dicit *τὸν πλάνον καὶ τὸν Αντίχριστον*, eiusdemque asseclas. 7) Nam in Apologia Augustanae professionis legem Pontificiam de perpetuo coelibatu doctrinis istis daemoniorum, a Paulo castigatis, annumerant. *Paullus admonet, quem auctorem habitura fuerit ista lex, cum uocat eam doctrinam daemoniorum.* 8) Quam probe cum Paullino contextu haec conspirent, age, iam uideamus.

B

Pri-

7) 2 Epist. u. 7.

8) p. 248

Primum quidem insigne, quo, duce Paulo, Fal-  
 laces istos Spiritus agnoscamus, sumitur a tempore,  
 quo sint in lucem aspectumque hominum prodituri,  
 eodemque extremo, ἐν ὑστέροις καιροῖς, postremis tempo-  
 ribus, siue, quem ad modum alio loco itidem loquitur  
 Paullus, ἐν ἐσχάταις ἡμέραις 9). Quorsum tempora haec  
 nouissima pertineant, magnis, uti constat, animorum  
 motibus disputatum est. Si Grotium consulas, illum  
 Pontificiorum partes strenue tueri uidebis. Paullum  
 enim ad ea modo, putat, animum referre, quae sua  
 sint ac Timothei aetate in coetu diuino futura. 10) Per-  
 placent ea amatoribus sedis Romanae, rerum suarum  
 non ignaris, quos oraculum Paullinum in summas ad-  
 ducit angustias. Id Cornelii a Lapide obuertatur ani-  
 mo, hoc de loco cogitantis. *Loquitur contra Simonia-  
 nos, Saturninum, qui tempore Apostolorum uixit, Ebio-  
 nem, Manichaeos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant  
 nuptias, uinum, carnes etc. non esse a Deo bono, sed ma-  
 lo, puta diabolo, creata, ac proinde haec natura sua esse  
 mala et cauenda, eorumque esu et usu hominem infici et  
 maculari. Inepte ergo haec Nouantes torquent contra  
 coelibatum sacerdotum, et ieiunia Ecclesiae, non enim Ec-  
 clesia*

9) 2 Tim. III. 1.

10) Opp. Theol. III. p. 969

*clesia nuptias aut carnes prohibet, quasi per se malas, uti faciebant haeretici iam dicti, quos hic carpit Apostolus, sed ad refraenandam concupiscentiam, et ad exercendam obedientiam et poenitentiam.* <sup>11)</sup> Sed cum Paulus de temporibus postremis loquatur generatim, nulloque ea termino circumscribat, proxime ad eius sententiam accedit Gerhardus, *totum illud temporis spatium complectens, quod inter primum Christi aduentum secundumque intercedit.* <sup>12)</sup> Est enim haec formula N. T. solemnis, ab antiquis Veteris Instrumenti uatibus accepta, qua noui foederis oeconomia, ad fatalem huius uniuersitatis disturbancelem durans, tempus postremum nuncupatur, extremique dies. Loci, qui dicto faciunt fidem, sunt in numero, Ies. II. 2. Ierem. XXX. 24. Mich. IV. 1. 2. Petr. III. 3. sequ. Tum, ad quod omnino non minore attendendum est cura, Paullus istos in primis Spiritus Fallaces perstringit, qui, lege lata, connubium uetuerint ciborumque usum. Id iam commemorabile est uisum Theodoreto, in hunc delato locum. *Recte posuit illud, PROHIBENTIVM contrahere matrimonium. Neque enim coelibatum, aut*

B 2

conti-

11) in h. l. p. 731.

12) ad haec uerba p. 61

*continentiam uituperat, sed eos accusat, qui lege lata ea sequi compellunt.* Quibus animo agitatis, quamlibet non remoueamus penitus aetatis primae praeuentium familias, a Cornelio a Lapide commemoratas, quae, non tam lege lata, quam deprauatis opinionibus, hic peccarunt, in primis tamen Romanum Pontificatum eiusdemque propugnatores designatos censemus, quorum defectio a uero uti fuit turpissima ac legibus sancita publicis, ita diuturnitate etiam sua non potuit non Christi legatos ad se rapere totos. Proinde multos quidem Christi aduersarios extremis temporibus Ioannes deprehendit, unum tamen omnium maxime prospicit. Verba faciat ipse, nosque doceat prudentiam, de postrema memoria accurate iudicandi.

Παιδία, ἐσχάτη ὥρα ἐστὶ καὶ, καθὼς ἠκούσατε, ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν. 13) Itaque non iniuria Gratio haec inculcat Spenerus, meliorum temporum spe alioqui satis liberalis. *Ob auch darinnen auf die alten Ketzer, Marcionem, Tatianum, Montanum, Manichaeos, gesehen würde, folget doch nicht, daß die Worte nicht auch weiter hinaus gien-*  
gen.

13) 1 Epist. II. 18

gen. Vielmehr, weil der Apostel sonderlich von den letzten Zeiten redet, will sichs nicht wol schicken, daß man die gantze Erfüllung auf die Zeiten der erstern Kirchen ziehe. So viel mehr, weil stehet von einer apostasia der letztern Zeiten, die aus Gegenhaltung der Stelle 2. Theff. II. 3. zu dem Antichrist gehoeret, und also die vornehmste Erfüllung solcher Weissagungen nicht kann vor der Zukunfft des Antichrists erkannt werden. Es redet Paulus auch nicht von solchen, die die Ehe oder die Speisen verdammen, sondern nur verbiethen. Et paullo ante. Es bleibt mir doch gewiß, daß des lieben Apostels Absicht in solchen Worten sonderbahrst auf die Paebstische Kirche gehe. 14) Quin aduersarios ipsos habemus reos confitentes, qui rationibus nostris premuntur tantopere, ut Estius Apostoli effatum longius patere largiatur. Ebionem, Saturninum, Encratitas, Marcionitas, Manichaeos, ab apostolo hic praemuntiatos, plus quam uerisimile est. Tametsi ualet eius doctrina ad condemnationem omnium sequentium, qui similia docuerunt. 15)

B 3

Sed

14) In der Evangelischen Kirchen Rettung cet. p. 356. 357

15) in h. l

Sed maius robur, credo, accedet explicationi nostrae, ipsas iamiam Spirituum Fallacium doctrinas, tum uniuerse a Paulo, tum sigillatim, memoriae proditas, si percurramus. Horret animus ac refugit earum turpitudinem, ubi *διδασκαλίας δαιμονίων* illas audit usurpari. Nodum in scirpo hic rursus quaerere uideas nonnullos, qui simplicem apertamque uerborum enodationem sua indignam putant eruditione. Etenim, Geniorum cultum, ac religionem imaginum, falsis uatibus hic uitio dari, existimant, doctrinam daemoniorum, ut *τεχνικῶς* loquar, accipientes obiectiue. Ita Iosepho placet Medo, doctrinam uituperari *de daemonibus, siue Mahuzzim, una cum Deo colendis.*<sup>16)</sup> Neque etiam Grotium poenitet, huius esse opinionis, *Pythagoricos maxime indicari, quorum praecipui fuerint magi, et cum daemonibus habuerint commercium. Inter hos fuisse insignem Apollonium Tyanaeum, qui hic eximie denotetur.*<sup>17)</sup> Antiqua est faciliorque interpretatio Lutheri, quae originem errorum capitalium, quibus Spiritus Fallaces accedunt onusti, reperit in Caecodaemonum inflatu, istos concitan-

16) Fragment. S. p. 98, quam quidem ille sententiam copiosius pertractat erudito, de nouissimorum temporum apostasiâ, libro

17) L. cit. p. 969

tantium. Assensor est Marckius, ex quo Vuolffius complura haurit <sup>18)</sup> argumenta, quae fidem nobis conciliare possunt. *Melius puto, nomen δαιμονίων exponi de his, ut caussis doctrinarum peruersarum, quam ut earundem obiectis.* <sup>19)</sup> Quid autem Romanae sedis, quae Apostolicae cognomen antiquitus traxit, eiusque defensoribus cum cacodaemonibus impuris. Respondeat Ioannes, expressam eius effigiem oculis cernens, tres Spiritus daemonum spurcissimos euomentem. *Ειδον ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δράκοντος, καὶ ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θηρίου, καὶ ἐκ τοῦ σώματος τοῦ ψευδοπροφήτου, πνεύματα τρία ἀκάθαρα. Εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων.* <sup>20)</sup> Nec uero possunt esse alii istarum sanctionum fontes, quas Paullus iam singulas percenset, certissima Spirituum Fallacium uestigia sumministrantes. Harum una nuptiis interdicit, altera cibis. *Κωλύοντων γαμῆν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων.* Parum habet difficultatis, quae interpretum aliquos uexare solet, utriusque rei coniunctio, quandoquidem abstinentia ciborum imperata sit a coetu, Pontifici Romano deuoto, non prohibita, quod in primis Costerus in suam, sociorumque suorum, utilitatem conuertere summo opere allaborat.

18) Cur. Philol. p. 457.

19) Exercitat. Scripturar. in N. T. p.

673.

20) Apoc. XVI. 13. 14

borat. <sup>21)</sup> Nullo enim negotio, ut dimittam ea, quae ab Erasmo Schmidio, Beza, aliis, ad hunc expediendum nodum allata sunt, haec explicat dilucide Budaeus, Attico dicendi genere elegantissimo, quo uerbo *καταλέγειν*, aliisque per se negantibus, adiecta particula negans, uel uerbum, negandi potestatem habens, iubendi uim auget. <sup>22)</sup> Nihil autem amabilius est Cacodaemoni, hominum libidinibus uagis, atque in omnem lasciuiam profusis, quibus illorum animi sic abiiciantur et prosteruantur, ut uitia pro uirtutibus habeant, stuprum adulteriumque pro religione. Intuere Corinthum, Romam, Paulo duce, in suis ad Romanos literis, capite primo, te confer. Tum, quid genius, coelo expulsus, in generis humani perniciem moliatur, turpissimis incensi uoluptatibus, cum stupore cognosces. Inde uero tui sit iudicii, quis Gregorium VII instigarit ad legem, de continenti Clericorum coelibatu ferendam, quae Spiritus Fallaces sine dubitatione arguit. Nec dum illius coetum puduit Romanum. Quamuis enim in societate Tridentina multorum in ore fuit illud Pontificis Pii V, *ab Ecclesia occidentali optimo iure ademptum sacerdotibus coniugium, sed nunc meliori restituendum,*

<sup>21)</sup> Enchirid. c. 16.

<sup>22)</sup> in Comment. Linguae Gr. f. 935



*dum, 23) fulmen tamen suum Patres Conscripti emiserunt in eos, id qui uelint conari. Si quis dixerit, Clericos posse matrimonium contrahere, contractumque ualidum esse, non obstante lege ecclesiastica, uel uoto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam uouerint, habere donum, anathema sit 24)*

Flagitio laborat non minori alterum, cuius Paulus mentionem iniicit, de ciborum discrimine scitum. Genius enim, Deo hominibusque infestus, inuidet numinis laudi atque gloriae, quod nihil condidit reiiciendum, omnia in societatis humanae utilitatem laetitiamque procreauit, ut, esculentis cum gratiarum actione sumptis, Creatoris in se beneficentiam, summa cum iucunditate cognitam, uno ore concelebret. Sed longe immanior ea in re latet inferorum nequitia, quae honorem Filii Dei, eiusque meriti infiniti, minuit, mortalesque spe falsa lactat, gratiae diuinae salutisque sempiternae huius generis contaminata superstitione impetrandae. Haec posterorum memoriae tradunt pii maiores nostri, in Augustana professione. *Et I. Tim. IV.*

C

uocat

23) Sarpus Hist. Conc. Trid. p. 1172.

24) Sess. 24. Can. 9

uocat prohibitionem ciborum doctrinam daemoniorum, quia pugnat cum Euangelio, talia opera instituire aut facere, ut per ea mereamur gratiam, aut quod non possit existere Christianismus, sine tali cultu. 25) Hebetiores uero sunt Pontificiorum aures, quam ut haec salutariter dicta in eas possint influere. Tanto uehementius congregatio Tridentina, praecipiti gradu contendens ad exitum, hortatur, et per sanctissimum Domini nostri atque Saluatoris aduentum Pastores omnes obtestatur, ut omni diligentia utantur, ut iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducant, ut ciborum delectus et ieiunia. 26) Inde nisi Spiritus conspicaris Fallaces, mentis lumina et oculorum amisisti

Quorum per insidias ne circumueniaris, sollicita cautione peropus est. Nam prae se ferunt ὑπόκρισιν ψευδολόγων, simulationem hominum falsiloquorum, eo-que insigni a Paulo notantur. ὑπόκρισις histrionum et scenicorum propria est, alienam gerentium personam, transfertur tamen uenuste ad simulatores ueritatis ac uirtutis. Pietas uera studet esse, quod uideri cupit, error mauult uideri, quam esse. Didicit hoc a parente suo

25) p. 34.

26) continuatione Sess. d. 4. Decembris

fuo, Cacodaemone, qui, in tenebris latens et squalore, lucem splendoremque affectat 27) Quo circa, monitore Paulo, ne traducamur in admirationem, quam nobis iniicere possint simulacra uirtutis Spirituum Fallacium. Ου θαυμασόν, αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μεταχρηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός. Ου μέγα οὖν, εἰ καὶ οἱ διάκονοι αὐτοῦ μεταχρηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης. 28) Quid autem est, quod personati Spiritus isti ostentant. Generatim perfectionem uitae singularis absolutionemque mentiuntur, ad cuius praestantiam ceteri mortales aspirare non possint, uel in summo dignitatis gradu collocati. Quae dolosa consilia, suis integumentis euoluta ac nudata, Caluinus ostendit non inepte, hunc explanans locum. *Coniugii prohibitio et ciborum sunt ex illa hypocrisi, quae, relicta uera sanctitate, alienos colores in fucum accersit. Nam qui ambitione, odio, auaritia, crudelitate aliisque similibus non abstinent, earum rerum abstinentia, quarum libertatem permisit Deus, iustitiam sibi acquirere tentant. Quorsum enim istis legibus onerantur conscientiae, nisi quia perfectio extra legem Dei quaeritur. Hoc autem non fit, nisi ab hypocritis, qui, ut*

C 2

impu-

27) Io. VIII. 44.

28) 2 Cor. XI. 14. 51

*impune transgrediantur cordis iustitiam, quam Lex requirit, interiorum suam nequitiam obseruatiunculis istis tegere, quasi uelis oppositis, tentant* 29). Deinde gloriantur sigillatim de castimonia corporis integerrima, cum libidinibus pareant effrenatis. Fouet eas Costeri uox nefaria, *Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinae foueat, tametsi graui sacrilegio sese obstringat, grauius tamen peccat, si contrahat matrimonium.* 30) Fouet blanda Episcoporum indulgentia, ex quibus aliquem, apud Germanos, in conuiuio, Erasmus testatur, dixisse, uno anno ad se delata undecim millia sacerdotum palam concubinariorum. 31) Fouet Synodi Tridentinae lenitas, semel iterumque sacerdotibus, feminas in concubinae locum ducentibus, dans ueniam. Fouet Pontificum exemplum, in quibus Innocentius VIII innocens hic non fuit, quod carmen, in eius lasciuia factum, ad posteritatis memoriam propagat,

Octo Nocens pueros genuit totidemque puellas,  
 Hunc merito poterit dicere Roma patrem  
 Adeo Curios simulant et bacchanalia uiuunt Spiritus Fal-  
 laces. Quod ut credas, adducam te legatione Ioannis  
 Cre-

29) Opp. Theol. Tom. V. p. 974.

30) Enchirid. c. 19. prop. 9

31) Tom. IX. fol. 40

Cremensis, Patris Purpurati, in Angliam, ad sacerdotes, illis etiam in locis coniugio prohibendos. Is, conuentu Londini habito, in sacri ordinis matrimonium tanta acerbitate est inuectus, ut, illud atrocissimum, diceret, adulterium aequiparare. Hic ipse tamen, quod demereris, nocte sequenti, cum meretricula, pretio corpus uulgante, deprehensus est. Baronius quidem illud in dubium incertumque nititur reuocare, quippe cum summa coniunctum infamia. Matthaeus autem Paris *rem notissimam negari non posse*, memorat. 32) Quis igitur me reprehendat, ad Spiritus Fallaces aptantem illud, quod est apud Senecam,

ubi uultus ille, et ficta Maiestas uiri,  
 atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens  
 morumque senium triste et adspectu graue?  
 o uita fallax! abditos sensus geris,  
 animisque pulchram turpibus faciem induis.  
 Pudor impudentem celat, audacem quies,  
 Pietas nefandum. uera fallaces probant,  
 Simulantque molles dura. 33)

C 3

Sed

32) p. 70.

33) Hippolyt. u. 915

Sed indidem elucet, quantopere eos conscientiae stimulent maleficiorum suorum, quae, cum eos respirare non sinant, summo studio supprimuntur ab illis atque consopiantur. Sunt enim *κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν*, *inustam habentes facinorum conscientiam*, siue, ut Ciceronis utar uerbis, L. Pisonem obiurgantis, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimi. Nonnulli, *κεκαυτηριασμένους*, cum Hesychio et Phauorino, explicant per *τοὺς μὴ ἔχοντας τὴν συνείδησιν ὑγιή*, homines consceleratos, suaeque sibi improbitatis ac peruersitatis conscios. Nam qui de crimine in quaestione erat confessus, ei inurebatur nota turpitudinis ad ignominiam. Alii conscientiam intelligunt, quae, tanquam cauterio adusta, consuetudine sic obduruerit et percalluerit, ut exuat humanitatem omnem uerique sensum. Liceat utrumque coniungere, quippe cum peccata, contra conscientiam ueri honestique admissa, hunc habeant euentum, ut ii, qui meliora uident, deteriora sequuntur, tandem sine ullo pudore sacra profanaque misceant, religione in risum conuersa. Ac profecto Spirituum Fallacium ita comparatum est ingenium. Sciunt, se, prohibendis sacerdotum connubiis, non minus diuinum uiolare

uiolare

uiolare mandatum, quam priscum coetus, Christo deuoti, usum. Neque ignorant, quid in Synodo Nicaena eam in sententiam actum sit, et Socratis ac Sozomeni monumentis mandatum. *Visum erat episcopis, nouam legem in ecclesiam inducere, ut, quicumque in sacrum ordinem allecti essent, i. e. Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, ab uxorum, quas, cum Laici essent, matrimonii iure sibi sociauerant, concubitu abstinerent. Cumque, hac re in medium proposita, singulorum sententiae rogarentur, surgens in medio Episcoporum consessu, Paphnutius, uehementer uociferatus est, non esse imponendum clericis et sacerdotibus graue hoc iugum. honorabiles esse nuptias, et torum immaculatum esse, dicens, ne nimia seueritate damnum potius inferrent ecclesiae. Neque enim omnes ferre posse tam districtae continentiae disciplinam, ac forsitan inde euenturum esse, ut cuiusque uxoris castitas minime custodiretur. Castitatem autem uocabat congressum uiri cum uxore legitima. Atque haec dixit, ipse coniugii expertus, et ob singularem castimoniam omnibus celebratus. Ceterum uniuersus coetus Sacerdotum Paphnutii sermonibus assensus est.* 34) Norunt praeter ea exempla Antistitum cele-

34) Socrat. I. II. p. 39. 40. Sozom. I. 23. p. 437

celeberrimorum, qui suauitatis casti matrimonii et legitimi expertes esse noluerunt, Pictauiensis in primis Hilarii, alia ne afferam magis trita, latinae eloquentiae Rhodani, cui, ut Mantuanus lepide canit,

Non nocuit progenies. Non obstitit uxor,  
legitimo coniuncta thoro, non horruit illa  
tempestate Deus thalamos

Constat illis, Sarpio monitore, Pontificem ipsum Pium IV legato Regis Gallorum id responsi dedisse, sua opinione connubia sacerdotum fuisse semper iuris positiui. 35) Quam flagranti tandem studio restitutioni horum connubiorum instabant atque urgebant Maximilianus II et Georgius Saxo, malorum, inde proficiscantium multitudine commoti. 36) Sed incepta fuerunt irrita, Spiritibus Fallacibus conscientiae labes ac uulnera parum curantibus. Facillimum esset, de ciborum dilectu, idem comprobatum dare, si possent reduci ad frugem illi, qui doctrinas suas ludificantur ipsi, nulla icti conscientia. Quam quidem impudentiam illustri documento declarat Thuanus ad A. 1547. Petrus Castellanus dixerat, oratione in Francisci Regis funere habita,

35) P. 791.

36) Bayl. Dict. T. 2. f. 1387



habita, confidere se, Regis animum, uita sanctissime acta, quamprimum corporis solutus uinculis fuerit, protinus euolasse in coelum, expiatoriis ignibus nullis cruciatum. Tum Sorbonici quosdam e suis miserunt ad Regem, illum accusatum. Sed ab Regiorum Dispensatorum Principe Io. Mendoza, hoc faceto responso, delusi fuerunt. *Scio, quid huc ueneritis. ceterum uobis confirmare possum, qui Franciscum optime nouerim, hoc eum ingenio semper fuisse, ut diu haerere ullo loco, quantumuis amoeno et commodo, nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non morae faciendae causa diuertisse uideatur, sed tantum, ut uinum, illac transeundo, a pocillatore pro more degustandum acciperet. Quo audito, Sorbonici, pudore suffusi, domum reuerterunt. Tam misera ac miseranda illorum praecipue conditio reperitur, qui, sacra nostra, caducis decepti bonis, deserunt, transfugientes ad castra Pontificis. Hi conscientiae malefacti stimulis, tanquam furiis, agitati, seria tandem iocose tractant, in manifestam ruentes impietatem. En, quas in perturbationes animi incidat Christina illa, Regina Sueonum, relicta coetus nostri doctrina. *Cette Princesse fit à Inspruch l'abjuration publique de la Religion**

D

Luthe-

Lutherienne, et on la regala de la comedie l'après-dinée. Messieurs, dit elle à des personnes du premier ordre, qui avoient assisté à son changement de Religion, et qui n' estoient là que pour chercher à la divertir. Il est bien juste, que vous me donniez la Comedie, après vous avoir donné la farce. 36) Ita Spiritus Fallaces, cum ipsi κερκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν sint, eo rem deducunt, ut etiam alii, ipsis qui obsequuntur, rerum diuinarum nullo tangantur sensu

O nos felices ac beatos, qui per Lutherum a Spiritibus his Fallacibus sumus abducti, atque ad ueritatis Spiritum, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας 37) reuocati. Hic coelestis Spiritus ὁδηγεῖ, recta ducit uia, non πλανᾷ, ut ab itinere ad coelum directo aberremus. Hic non est ψευδολόγος, falsiloquus, sed in omnem deducit ueritatem. Huius doctrinae non sunt daemoniorum, sed ex sinu Patris per Christum acceptae. 38) Hic gloriam Christi in nobis illustrat, spe salutis cultui ab hominibus efficto, adempta. Hic auersatur simulationem, ueram in Christo sanctitatem docens, καθὼς ἐστὶν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ. 39) Hic denique non onerat conscientiam uitiorum recordatione, sed nos ita regit, 40) ut habeamus mysterium fidei in conscientia pura. 41) Ad eum igitur

36) Memoires par Mr. Ancillon. p. 150.

37) Ioh. XVI. 13

38) u. 14. 15.

39) Ephes. IV. 21

40) Rom. VIII. 14

41) I Tim. III. 9

igitur Spiritum, diuinitus missum, uenerabundi nos recipiamus, Ciues Praestantissimi Lectissimique, hodierno praesertim die, quo in tot gentes, Hierosolymis congregatas, mirabili dono linguarum effunditur. Sit dux et auctor uitae nostrae solus, nosque ueritate aeterna integerrimaque, diuinis comprehensa monimentis, instruat. Morem ei semper geramus, erudienti, monenti, castiganti, ut sapientiam ueram mature consequamur. Trahat ille nos, sacris excitatos uocibus, sui studio, ut sanctitate illius nos quoque efficiamur sancti. Confirmet in primis nos omnes, ut magno fortique animo pro ea propugnemus Lutheri doctrina, quae Vitembergae primo exsplenduit, quae Vitembergam sempiterna gloria cohonestauit. Ad quod mentis robur impetrandum Spiritui Veritatis mecum supplicate religiosissime, Commilitones dilectissimi, uti nos, aeterni ueri scientia institutos, in uera contineat et constantissima fide. Veneramini cum publice priuatimque, ut antiquam ueritatem, tot corruptelis Pontificiis inquinatam, nostrique Lutheri immortalis repurgatam ministerio, firmissimis sepiat praesidiis, nosque constantia impertiatur inuicta, ut omnia uitae praesidia prius amittamus, et uel spiritum nobis auferri patiamur, quam in omni uita transuersum unguem a diuini regula uerbi, et recta conscientia, discedamus. Arceat

a

XXVIII DE SPIRITIBVS FALLACIBVS

a nostrae Vitembergae moenibus Spiritus Fallaces, qui prauitatem animi probitatis simulatione tegunt, suisque blandimentis ac pollicitationibus incautos opprimunt, atque ad rem attentos redigunt in seruitutem. Largiatur almae nostrae matri eos perpetuo doctores, qui, utilitati publicae amiciores, quam suae, salutis explicandae rationem, oraculorum diuinorum norma praescriptoque tantummodo metiantur, ad eorumque leges omnem de sacris iudicandi curam exigant, siue fidei salutaris capita proponant, siue prauas hominum opiniones refellant. Auertat postremo ab hac Musarum sede Spiritus, ut dici uolunt fortes, qui, ad ludos atque ineptias nati, religionem, quam habent quaestui, cauponantur, certe, pro lepida indole sua, res ad sacra spectantes persequuntur ioculariter. Haec, haec inquam, cuncta, coniunctis uiribus, Spiritum Sanctum rogemus, his diebus, numini eius dicatis, Commilitones Florentissimi, non immemores donorum, quibus eos, qui Spiritus ministerio funguntur, prosequamur. Caritas Dei, et Communicatio Spiritus Sancti, et Pax Domini nostri Iesu Christi adsit omnibus uobis. Amen. P. P. in ipso celebri anniuersarioque Sacro Pentecostali anno Salutis iustauratae

MDCCXLVIII

IV Non Jun

---

VVITTEBERGAE  
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS

Coll. Miss. F. 150, 28